

sacrae Scripturae, praesertim ex Jacobo (1): *Postulet autem in fide nihil haesitans*. Paulus ad Hebraeos (2) aiebat: *Adeamus... cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur*.

Haec dicta sint cum D. Thoma, cui non omnes auctores quoad omnia consentiunt; vide Suarium, qui copiose de his omnibus disputat De oratione L. 1. a cap. 23. Huic non videtur necessarium esse ad infallibilitatem orationis: 1.° Postulare pro se. 2.° Petere rem absolute necessariam ad salutem, sed sufficere utilem, imo honestam quamvis non conferentem nec oppositam saluti. 3.° Cum D. Thoma 2, 2, Q. 83, a. 16, esse in statu gratiae. Ratio generalis et particularis pro peccatoribus est ex Suario (3): «quia promissiones Christi generales sunt, et non sunt limitandae, ubi nec verba cogunt, nec materia, nec ratio divinae justitiae, et alioqui divina misericordia sine tali limitatione magis commendatur. Nam et orationis jus in impetrando non fundatur in dignitate personae orantis, sed in misericordia divina, et verbo ejus; ergo indignitas peccatoris non obstat impetrationi etiam infallibili, si alia necessaria concurrant.»

«Loca ergo Scripturae, quae profitentur Deum non exaudire orationes peccatorum, intelligi possunt formaliter de orationibus quas ut peccatores fundunt, id est, quae peccatum eorum per pravam intentionem, vel aliam malam circumstantiam participant.»

184. IV. attentio virtualis initio saltem orationis vocalis, de qua praecipue est quaestio, necessaria est ad fructum meriti et impetrationis; actualis continua necessaria ad spiritualem refectionem (4).

In hac materia dicitur attentio «advertentia ad id quod dicitur aut fit.» Externa est, qua quis exterius ita se habet, ut in eo nihil sit repugnans attentioni internae. Interna est, qua animo attenditur, ad id, quod exterius agitur. Triplex est: «una quidem, qua attenditur ad verba ne aliquis in eis erret; secunda, qua attenditur ad sensum verborum; tertia, qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, et ad rem pro qua oratur (5).» Prima dicitur naturalis seu superficialis, secunda litteralis, tertia spiritualis. Quaelibet ex his attentionibus potest esse habitualis, si est tantum quaedam propensio ad attendendum in voluntate attendendi, quae nec actu nec virtualiter perseverat, sed habitu; actualis si quis actu de facto attendit; virtualis, si vi intentionis attendendi praehabita in aliquo effectu attentio remanet dummodo non revocetur per contrariam intentionem, aut per opus impossibile cum attentione. Intentio distinguitur ab attentione, quia intentio est voluntas aliquid faciendi; intentio implicita saltem, quae habetur v. g. in sumptione breviarii ad recitandum officium, est omnino necessaria ad orandum sicut ad quemlibet actum humanum.

Assertio est conclusio D. Thomae (l. c.), qui eam sic evoluit: «Sciendum est quod necessarium dicitur aliquid dupliciter: uno modo per quod melius pervenitur ad finem; et sic attentio ab-

(1) I, 6.—(2) IV, 16.—(3) De orat. L. 1, c. 25, nn. 3, 4.—(4) D. Thom. 2, 2, Q. 83, art. 13.—(5) Ibid.

»solute orationi necessaria est. Alio modo aliquid dicitur necessarium sine quo res non potest consequi suum effectum. Est autem triplex effectus orationis: primus quidem communis omnibus actibus charitate informatis, quod est mereri; et ad hunc effectum non ex necessitate requiritur quod attentio adsit orationi per totum, sed vis primae intentionis, qua aliquis ad orandum accedit, reddit totam orationem meritoriam, sicut in aliis meritoriis actibus accidit. Secundus autem effectus orationis est ei proprius, quod est impetrare; et ad hunc etiam effectum sufficit prima intentio, quam Deus principaliter attendit. Si autem prima intentio desit, oratio nec meritoria est nec impetrativa; illam enim orationem Deus non audit cui ille qui orat, non intendit, ut Gregorius dicit lib. XXII Moral. Tertius autem effectus orationis est quem praesentialiter efficit, scilicet quaedam spiritualis reformatio mentis; et ad hoc de necessitate requiritur in oratione attentio. Unde dicitur I Cor. (3): *Si orem lingua... mens mea sine fructu est.*»

Dices: «de necessitate orationis est quod careat omni peccato. Sed non est absque peccato quod aliquis orando evagationem mentis patiat; videtur enim deridere Deum, sicut si alicui homini loqueretur, et non attenderet ad ea quae ipse proferret.»

Resp. Cum Angelico (4): «Quod si quis ex proposito in oratione mente evagetur, hoc peccatum est, et impedit orationis fructum; et contra hoc Augustinus dicit in Regula (5). «Psalms in ore.» Evagatio vero mentis quae fit praeter propositum, orationis fructum non tollit. Unde Basilius (const. monast. c. 1) ait: «Si vero debilitatus a peccato fixe nequis orare, quantumcumque potes, te ipsum cohibeas et Deus ignoscit; eo quod non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes, ut oportet, assistere coram eo.»

Quaeritur his positis an ad satisfaciendum praecepto v. g. recitandi horas canonicas sit necessaria aliqua attentio interna vel sufficiat mere externa?

Dicunt sufficere mere externam, Durandus, Medina, Paludanus, Rosellus, Angelus, S. Antoninus, Gonet, quos sequitur Platelli (6), qui ita concludit: nullam omnino requiri attentionem internam neque formalem, neque virtualem, seu virtualiter perseverantem in proposito attentionis non retractato; ac proinde eum, qui voluntarie distrahitur toto tempore horarum satisfacere praecepto, et solum peccare venialiter (7).

Probat ita: Seclusa omni attentione interna, modo adsit externa

(1) Cap. XVII, § 43.—(2) XIV, 14.—(3) XIV, 14. Probat accommodatione; loquitur D. Paulus, ait Menochius (i. h. l.) de publica oratione qua unus... coram omnibus alta voce orabat, et cum eo deprecantibus, suaeque vota jungentibus... Mens autem mea sine fructu est, i. e. sententia et significatio, quae verbis a me prolatis subest, sine fructu est proximorum, cum ab illis non percipiatur i. e. minime intelligatur verborum significatio.—(4) 2, 2, Q. 83, a. 13, ad 3.—(5) Epist. 121, al. 109.—(6) De relig. n. 806.—(7) Hanc sententiam non habent improbabilem Les. Lay. et satis probabilem dicit S. Alphonsus. L. 4, n. 177, 3.^a sent.

cum virtuali intentione orandi ponitur substantia operis praecepti, licet vitiata per malam circumstantiam. Sed hoc sufficit ad satisfaciendum praecepto. Ergo... Prob. *Maj.* Quia ad substantiam orationis vocalis solum requiritur attentio, seu reverentia externa excludens omnem actionem impossibilem cum attentione interna, et distincta pronuntiatio verborum cum intentione, saltem virtuali orandi: cum per hoc constituatur in esse orationis de se, seu objective pie et religiose. Confir. Qui intendit recitare *Pater noster* si dum dicit: *panem nostrum* cogitat de alia re pia v. g. de Incarnatione profert illa verba humano modo et vere Deo suam orationem repraesentat, ut concedunt adversarii: sed hic non est illi orationi magis attentus quam si profana cogitaret. Ergo.

Negant vero Cajetan. Sot. Ledes. Navar. Lessius, Maldon. Suarius (1), qui ita probat: quia vocalis loquutio ad Deum sine ulla interna attentione non est oratio. «nam: a) oratio in genere sumpta est ascensus mentis in Deum... Sed qui profert verba sine ulla attentione nullo modo ascendit ad Deum corde: Ergo revera non orat.» b) Item ut quis satisfaciat praecepto orandi debet habere intentionem saltem virtualiter perseverantem orandi et colendi Deum: sed haec intentio nequit stare sine ulla attentione interna, cum voluntariis distractionibus: ergo... *Min.* prob. nam implicat, aliquem velle habere mentem ad Deum elevatam, et simul ab illo separatam; velle colere Deum, et simul nolle de illo cogitare, imo velle illum offendere. Conf. Eodem modo Ecclesia praecipit recitationem, ac praecipit annuam confessionem: sed non satisficit praecepto annuae confessionis sine dolore interno: ergo nec praecepto recitationis sine interna attentione (2).

THESIS XXXII.

Vota Deo offerre etiam de re libera conveniens est, et melius ex voto quam sine eo operari.

185. *Nota.* I. 1.º Votum est «promissio Deo facta» ut communiter definiunt Theologi; ex quo jam patet votum esse actum Religionis, siquidem est promissio in utilitatem aliquam Dei. Sed nihil aliud possumus nos dare Deo praeter honorem quem procurat Religio.

2.º Est vera promissio non nudum propositum ut colligitur ex Scriptura Deuter (3). *Facies sicut promisisti*, et confir. ratione; quia nemo obligat seipsum, nisi intendat se obligare: sed solo proposito faciendi aliquid nemo intendit se obligare: ergo nudum propositum non habet vim voti obligantis. Hinc ex tribus quae requiruntur juxta D. Thomam (4) ad votum nempe: a) Deliberatio. b) Propositum voluntatis. c) Promissio, constat in hac ultima perfici rationem voti, alia esse praevia, obligationem vero esse votum consequentem.

(1) De orat. L. 3, c. 4, n. 5.—(2) Conf. Les. L. 2, c. 37, n. 63-68.—(3) XXIII, 23.—(4) 2, 2, Q. 88, a. 1.

3.º Ut promissio ac consequenter votum valeat requiritur: a) Ut sit deliberata, ita ut si non praecedat formalis deliberatio ipsius voti in se, non sufficiat ad valorem illius virtualis deliberatio habita in causa, v. g. in ebrietate in qua soles vovere. b) Ut libera. c) Ut fiat cum intentione se obligandi. d) Ut sit de re grata promissario, quia promittere quod displicet non est promittere sed minari. e) Ut promittens possit obligari, quidam enim per leges non possunt se voto obligare, aut saltem non ita valide quin possit in irritum revocari.

4.º Ut votum de aliqua re fieri possit requiritur. a) Ut sit in nostra potestate. b) Ut sit bonum. c) Ut sit melius quam oppositum absolute v. g. non nubere quam nubere (3), et etiam respective v. g. nubere quam non nubere respective ad aliquem; unde completa definitio voti est: «Promissio Deo facta de meliore bono, quam sit ejus oppositum.» Ratio hujus postremae conditionis est, quia repugnat obligari ad non faciendum id quod est melius propter minus bonum, etenim ita vovere esset contra voluntatem Dei, quae est sanctificatio nostra et quidem major possibilis juxta mensuram gratiae unicuique datae.

II. Votum dividitur. a) In *commune et singulare*. *Commune* vocant actum illum quo quis in Baptismo renuntiat Satanae et adhaeret Christo. Improprie dicitur votum. *Singulare* quod quisque pro suo arbitratu de rebus non necessariis saltem ex voto, concipit. b) In *conditionale et absolutum*. *Conditionale in poenale et non poenale*. *Poenale* est quando quis vovet aliquid in poenam delicti, quod potest fieri bifariam, uno modo, si solum voveas poenam delicti non tamen illud evitare; alio, si voveas etiam evitare delictum hoc pacto, «voveo non amplius inebriari, alioqui dabo eleemosynam.» Hoc votum non est simplex, sed duplex, quia continet duo vota, absolutum de non inebriando, et conditionale de danda eleemosyna. c) In *simplex et solemne*. *Solemne* quod ut tale acceptum ab Ecclesia annexum est susceptioni ordinis sacri et professioni religiosae. *Simplex* quodcumque aliud. d) In *expressum et tacitum*. *Expressum* quod verbis exprimitur. *Tacitum* quod censetur fieri eo ipso, quod voluntarie aliquid agitur cui votum connexum est, vel supponitur ut votum castitatis in susceptione ordinis sacri. e) In *personale reale et mixtum*. *Personale* est quo promittitur aliqua actio vel omissio; *reale* quo res aliqua externa promittitur; *mixtum* quo utrumque promittitur ut peregrinatio cum oblatione. Reale vel mixtum quatenus reale transit ad haeredes; personale autem minime, nisi expressam vel tacitam hanc conditionem habeat, si non possum per me, per alterum implebo.

(1) V. D. Thom. 2, 2, Q. 88, a. 2.

III. Votum obligat ad sui observationem (1): *Quodcumque voveris, redde: multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere*; et quidem sub gravi ex genere suo, nam «pertinet ad fidelitatem quam homo debet Deo (2).» Potest tamen obligare sub veniali: a) ratione levitatis materiae, ut si voveas recitare Salutationem Angelicam semel, aut singulis diebus, obligationem ita affigendo singulis diebus, ut quotidie partialiter expiret. Ita Navarrus et Suarius contra Cajetanum b) ratione voluntatis non se obligandi, nisi sub veniali: cum actus agentium non operentur ultra intentionem eorum ut patet in Legislatore.

IV. Thesis habet duas partes: 1.^a est contra Lutherum et Calvinum qui docuerunt impium esse vovere aliquid Deo quod non sit praeceptum, ad colendum Deum; posse tamen tale quid voveri ob alium finem v. g. ad vitandam aliquam molestiam vel alia vitae negotia melius transigenda. Hinc inferebant vota Religiosorum esse iniqua et irrita et Franciscum, Dominicum et Bernardum damnatos esse, nisi forte professi sint in religione non ob cultum divinum, sed ut liberi essent ab uxoribus et aliis curis temporalibus. Est de fide. Secunda pars est certa et communis theologorum cum D. Thoma (3).

186. I.^a Pars. Prob. 1.^o Ex Psalmo (4): *Vovete et reddite Domino Deo vestro. Deuteronomio (5). Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, si nolueris polliceri, absque peccato eris.* Ergo non tantum votum rei praeceptae, sed etiam liberae Deo placet, ac proinde conveniens est. Ergo...

2.^o Cum S. Augustino (6): «Nec ideo te vovisse poeniteat, imo gaude jam tibi non licere quod cum tuo detrimento licuisset. Aggrederere itaque intrepidus, et dicta imple factis; ipse adjuvabit, qui vota tua expetit: Felix est necessitas, quae in meliora compellit.» Et supra: «Priusquam esses voti reus, liberum fuit quo esses inferior; quamvis non sit gratulanda libertas qua fit ut non debeatur, quod cum lucro redditur.»

3.^o Ratione. Conveniens est quod Deo cultum affert et homini utile accidit. Sed vota offerre Deo, ei cultum affert et homini utile accidit. Ergo. *Min. prob. Affert cultum Deo.* Votum est promissio Deo facta, quae ei honorem, et gratum voventis animum summisce exhibet. Sed Deum honorare, eique gratias agere et servire est ipsum colere. Ergo... *Utile homini*, cum D. Thoma (l. c.) Voto, hominis voluntas firmatur in bono et quidem meliori in Dei

(1) Eccles. V, 3, 4.—(2) D. Thom. 2, 2, Q. 88, a. 3.—(3) Ibid. a. 6.—(4) LXXV, 12.—(5) XXIII, 21.—(6) Epist. 127, ad *Armentarium et Paulinam*, n. 8.

servitio. Sed quod voluntas firmetur in Dei servitio valde utile est homini. Ergo... Confirmatur cum Suario (1): a) Quia status Religionis sub consilio cadit ut est de fide certum. Sed ille status votis constituitur seu firmatur. Ergo... b) Ex voto honestissimae utilitates comparantur. Ergo... Antec. prob. Nam per vota: a) homo liberalem se ostendit erga Creatorem suum, illi offerendo se vel sua modo quodam stabili et firmo. b) Vota sunt principia meliorum operum. c) Tandem saepius sunt ratio, ut quis frequentius ac certius bene operetur.

187. II.^a Pars. Prob. 1.^o Cum S. Thoma (2): «Super illud »Psal. (3): *Vovete, et reddite*, dicit Glossa: «Vovere voluntati consulitur.» Sed consilium non est nisi de meliori bono. Ergo melius est facere aliquid opus ex voto quam sine voto; quia qui facit »sine voto, implet tantum unum consilium, scilicet de faciendo; »qui autem facit cum voto, implet duo consilia, scilicet de vovendo »et faciendo.»

2.^o Ex auctoritate S. Augustini ut in prima parte.

3.^o Rationibus desumptis ex Angelico (4) et Suario (5): a) Opus, quo votum impletur, habet totam honestatem, quam per se haberet sine voto, et praeterea habet honestatem voti, per quam consecratur Deo, et fit opus religiosum; Ergo simpliciter augetur in bonitate. «Ideo, ait Angelicus, actus virtutum moralium, »puta jejunare, quod est actus abstinentiae; et continere, quod est »actus castitatis, sunt meliora et magis meritoria, si fiant ex voto, »quia sic jam pertinent ad divinum cultum, quasi quaedam Dei »sacrificia.» b) «Quia ille qui vovet aliquid, et facit, plus se Deo »subjicit, quam ille qui solum facit: subjicit enim se Deo non solum »quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, quia de »caetero non potest aliud facere; sicut plus daret homini qui daret »ei arborem cum fructibus quam qui daret ei fructus tantum, ut »dicit Anselmus (6).» c) «Quia per votum immobiliter voluntas firmatur in bonum. Facere autem aliquid ex voluntate firmata »in bonum, pertinet ad perfectionem virtutis... Sicut etiam peccare mente obstinata, aggravat peccatum, et dicitur peccatum in »Spiritu sanctum.» d) Omissio operis voto promissi est majus peccatum quam si non esset promissum; ergo etiam facere illud est majus bonum, quia oppositorum debet esse proportionalis ratio, et quia major malitia privat majori bonitate. Hoc argumentum intellige de eodem opere caeteris paribus, et de augmento peccati secundum novam speciem malitiae.

(1) De voto L. 1, c. 18.—(2) 2, 2, Q. 88, a. 6, sed contra.—(3) LXXV, 12.—(4) 2, 2, Q. 88, a. 6 in *θ*.—(5) De voto, L. 1, c. 17.—(6) Lib. de *Similitudinibus*, cap. LXXXIV.

SCHOLIA.

188. I. Votum proprie fit soli Deo. Est enim actus patriae seu Religionis; qua solus Deus colitur: unde cum dicitur fieri votum B. Virgini aut alicui e Sanctis, intelligendum est fieri Deo in honorem B. Virginis aut alicujus sancti, vel votum sumitur improprie pro actu non religionis sed duliae (1) de qua in articulo sequenti.

II. Malitia violationis voti formaliter consistit in perfidia, seu infidelitate ad Deum, quae mendacium et sacrilegium quodammodo virtute continet.

Mendacium, quia dum non impletur Deo promissum, falsa fit assertio inclusa in promissione Deo facta. Sacrilegium quia res Deo dicata per votum irreverenter tractatur. Horum ratio est quia obligatio voti, est obligatio promissionis seu fidelitatis ad Deum: ergo in transgressione est privatio illius honestatis debita fidelitati, quae est infidelitas seu perfidia, ut satis declaravit Paulus ad Timotheum (2): *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Confr. Quia inter homines non implere promissum quaedam infidelitas est; ergo et in ordine ad Deum. Quod vero non sit alia malitia patet, quia in voto non est nisi una honestas et una obligatio; privatio autem servat proportionem ad habitum (3).

189. Obj. 1.º Plura Juris capita (4) in quibus asseri videtur solum firmum propositum sufficere ad obligationem voti inducendam. Ergo votum non necessario includit promissionem. Confr. a) Ratione: propositum absolutum faciendi aliquid bonum opus inducit obligationem; ergo tale propositum in materia religionis inducit obligationem religiosam, et consequenter obligationem voti. *Antec.* prob. Quia tale propositum non potest mutari sine inconstantia, neque sine aliqua culpa. b) Verbis Christi Domini (5): *Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei.* Sed firmiter proponens jam mittit manum ad aratrum. Ergo...

Resp. Explico *antec.* In illis capitibus asseritur propositum firmum et nudum sufficere; neg. Firmatum simplici saltem promissione explicita vel implicita in voluntate se obligandi taliter; conc.

Ad confr. a) Dist. *antec.* Propositum firmum et absolutum inducit obligationem stricte dictam, quae per se obliget sub peccato; neg. Improprie dictam, quatenus, qui non implet propositum facit quod minus decet, non autem quod eum dedecet; conc. Unde dist.

(1) Suar. De voto. L. 1, c. 16.—(2) V, 12.—(3) Suar. De voto. L. 5, c. 3.—(4) Vid. ap. Suar. De voto. L. 1, c. 2, n. 1.—(5) Luc. IX, 62.

conseq. In materia religionis inducit obligationem voti stricte dictam ex fidelitate; neg. Improprie dictam; conc. Rationem probationis *antec.* dist. Propositum non potest mutari sine inconstantia neque sine culpa improprie sumpta pro eo, quod minus decet; conc. Stricte pro eo, quod positive dedecet; neg. Hujusmodi obligatio ex nudo proposito, ait Suarius (1), asseritur «gratis et praeter communem omnium sensum; vix enim auderent homines bonum aliquid proponere, si crederent inde oriri obligationem. cujuscumque generis illa sit. Praeterea nulla lege aut sufficienti ratione ostendi potest simplex propositum habere hanc connaturalem vim inducendi obligationem ad perseverandum in illo, seu exequendum illum.»

Ad b) D. Thomas (2) neg. *min.* quia qui mittit manum ad aratrum aliquid facit, non vero qui solum proponit. Potest praeterea explicari textus cum Suario (3) hoc pacto: *qui aspicit retro* i. e. qui vocatus ad meliora se implicat saecularibus vel rebus mundanis non est aptus regno Dei, sua animi dispositione et inconstantia, quae illum avocant a rebus caelestibus et inutilem reddunt ad regnum Dei expugnandum vel propugnandum aut cum perfectione assequendum; conc. *Non est aptus* i. e. est indignus regno Dei propter aliquam culpam; subdist. Si in aliquid malum inclinet, vel a nuncupato voto de re meliori recedat; conc. Ex hoc praecise quod nudum propositum de re meliori non exequatur; neg.

Obj. 2.º «Non alicui expedit ut privet se bono quod ei Deus donavit. Sed libertas est unum de maximis bonis quae homini Deus dedit, qua videtur privari per necessitatem quam votum imponit. Ergo non videtur expediens homini quod aliquid voveat.»

Resp. Dist. secundam *minoris* partem: votum privat hominem libertate indifferentiae; neg. Libertate plura licite operandi; subdist. cum detrimento libertatis; neg. cum ejus lucro et perfectione; conc. nam «sicut non posse peccare non diminuit libertatem, ita etiam necessitas firmatae voluntatis in bonum non diminuit libertatem, ut patet in Deo, et in beatis; et talis est necessitas voti, similitudinem quamdam habens cum confirmatione beatorum (4).»

Obj. 3.º «Nullus debet se periculis injicere. Sed quicumque vovet, se periculo injicit: quia quod ante votum sine periculo poterat praeteriri, si non servetur post votum, periculosum est.»

Resp. Dist. *Maj.* Nullus debet se periculis injicere, si periculum est ex ipsa re seu facto; conc. Si solum ex defectibilitate hominis neg. vel subdist.: imprudenter agendo; conc. prudenter operando;

(1) De voto. Lib. 1, c. 2, n. 6.—(2) 2, 2, Q. 88, a. 1 ad 3.—(3) De voto. L. 1, c. 2, nn. 18-27.—(4) D. Thomas 2, 2, Q. 88, a. 4 ad 1.

neg. Et contra distincta *min.* etc. «Quando periculum nascitur ex ipso facto, tunc factum illud non est expediens, puta quod aliquis per pontem ruinosum transeat fluvium; sed si periculum imminet ex hoc quod homo deficit ab illo facto, non desinit propter hoc esse expediens; sicut expediens est ascendere equum, quamvis periculum imminet cadendi de equo: alioquin oporteret ab omnibus bonis cessare, quae per accidens ex aliquo eventu possunt esse periculosa (1).» Jam vero hoc periculum si quis prudenter operatur moraliter nullum vel valde remotum est.

Obj. 4.^o «Apostolus: a) dicit (2): *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Sed non legitur, Christum aliquid vovisse, nec Apostolos. Ergo videtur quod non expediat aliquid vovere.» b) Nihil usurpandum esse ad cultum divinum nisi quod Deus praeceperit; alioquin daretur cultus voluntarius, quem ut superstitionum reprehendit Apostolus scribens ad Colossenses (3).

Resp. Ad a) Neg. *Min.* de Apostolis saltem quoad votum implicitum sequendi Christum; de Christo autem dist. Non legimus eum aliquid vovisse, quia in altiori perfectione nempe unione hypostatica, visione beatifica, habebat voluntatem firmatam in bono; conc. Quia votum sit aliquid minus perfectum aut aliquid non praestandum, ut magis ac magis usque ad perfectam imitationem Christi sanctificemur; neg. «Christo secundum se non competeat vovere, tum quia Deus erat, tum etiam quia, in quantum homo, habebat firmatam voluntatem in bono, quasi comprehensor existens; quamvis per quamdam similitudinem ex persona ejus dicatur in Psal. XXI, secundum Glossam: *Vota mea reddam in conspectu timentium eum;* loquitur autem pro corpore suo, quod est Ecclesia. Apostoli autem intelliguntur vovisse pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum, relictis omnibus sunt sequuti (4).»

Ad b) Resp. Falsum esse quod assumitur, neque Apostolus ad Colossenses (l. c.) reprehendit cultum voluntarium simpliciter, sed eum, qui sola inventione humana constat, et Deo indignus est, vel falso numini tribuitur.

Obj. 5.^o Non est melius operari ex praecepto: ergo neque ex voto eadem enim est ratio, nam praeceptum et votum conveniunt in obligatione imponenda. *Antec.* prob. Quia melius est opus con-

(1) Ibid. a. 4 ad 2.—(2) I ad Corinth. IV, 16.—(3) II, 22.—(4) D. Thom. 2, 2, Q. 88, a. 4, ad 3; sed nota Christum D. potuisse votum emittere sicut orare, sacrificium offerre, etc., et probabile est votum emisisse obeundae mortis cum in mundum ingressus est. (Suar. De voto. L. 3, c. 1, nn. 2-6.) De Apostolis absolute affirmat Suarius vota emisisse (Ibid. c. 2, n. 9.)

silii quam praecepti, et ideo consilia sunt de meliori bono; atque eorum observantia ad statum perfectionis spectat.

Resp. Dist. *antec.* Non est melius operari ex praecepto caeteris paribus; neg. Si caetera non sunt paria, sed multo meliora in opere non praecepto; conc. Etenim in primo casu praeter honestatem operis est honestas et meritum obedientiae; in secundo propter illa meliora fit aliquod opus consilii esse magis perfectum quam aliquod opus praeceptum, licet non omne opus consilii sit eo ipso quod consilii sit omni opere praecepto praestantius, consiliorum vero observatio pertinet ad statum perfectionis, quia duo includit et praeceptorum observationem et ulterius consiliorum.

Obj. 6.^o Quae fiunt ex voto fiunt ex morali necessitate voluntati imposita. Sed quae fiunt ex morali necessitate nec ultro et non sine tristitia pluries fiunt, quod non est melius servire, Deo. Ergo... *Min.* confir. a) Ex Apostolo (1): *Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datum diliget Deus.* b) Auctoritate S. Prosperi (2): «Sic abstinerere vel jejunare debemus, ut non nos necessitati jejunandi subdamus; ne jam non devoti sed inviti rem voluntariam faciamus.»

Resp. Dist. *Min.* Non fiunt ultro nec sine tristitia pluries, si votum imprudenter neque libere et spontanee emissum est; conc. Si prudenter libere et spontanee emissum est; subdist. per se neg. Per accidens, propter circumstantias occurrentes, quae possunt reddere difficilius votum servare; conc. Sed tunc si voluntas sit firma majus est meritum et melius servit animam Deo.

Ad conf. a) Dico Paulum loqui de necessitate, quae proveniat ex coactione, metu, pudore, etc., non de ea, quam quisque ultro et spontanee ad majus Dei obsequium sibi imponat.

Ad b) Eodem modo respondet Angelicus (3); Suarius vult S. Prosperum solum consuluisse ne votum jejunandi temere et indiscrete fieret, ne forte cum occurrat rationabile motivum jejunium non servandi tunc «non devoti, sed inviti» jejunemus. «Necessitas voti, ait D. Thomas (4), in his qui sunt bene dispositi, in quantum voluntatem confirmat, non causat tristitiam, sed gaudium. Unde Augustinus dicit (5): «Non te vovisse poeniteat, imo gaude jam tibi non licere quod cum tuo detrimento licuisset.» Si tamen ipsum opus secundum se consideratum, triste et involuntarium redderetur post votum, dum tamen remaneat voluntas votum implendi, adhuc est magis meritorium quam si fieret sine voto: puta impletio voti est actus religionis, quae est potior virtus quam abstinentia, cujus actus est jejunare.»

(1) II Cor. IX, 7.—(2) De vit. contempl. c. 24.—(3) 2, 2, Q. 88, a. 6 ad 1.—(4) Ibid. ad 2.—(5) Epist. CXXXVII, ad Armentarium et Paulinam, § 8.